



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanae Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Thomae Warecop. n. 24.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

Robertus
Ardrenus

transmissus est, tum Alumnis Seminarij, tum Anglis institutoribus futurus à Confessionibus; vbi consensens, laborum simul & vitæ finem accepit, post annum sexcentisimum decimum quintum. *Robertus Ardrenus* Ciceſtrenſis, admissus Louanij septimo Aprilis anni sexagesimi quinti, per omnia penè Societatis Ministeria gnauum se probauit operarium: nam & humaniora & Mathesim explicuisse memoratur, & functus muneribus Ministri, Procuratoris, Praefecti spiritus, Concionatoris, Penitentiarij in Lauretana, & Sancti Petri aede; quo tamen loco ad supernæ felicitatis præmia euolauerit non reperio. Hos habuit Septemtrio.

In Italia
qui clarue-
re.

Humphre-
dus Woodward.

Habetur in
in Collo.
Romæ in-
ter M. SS.

XXIII. Hospitii & educationis nomine quantum Italiae atque Hispaniae debeat Anglia, tam cunctis per Europam gentibus est perspectum, tam peruulgatum, vt neque silere fas sit, nè ingrati, neque sat promptum dicere nè in summo beneficio minus eloquentes videamur; & quanquam aëris victulque à natuo discrepantia interitum multis attulerit, plures tamen vtraque reddidit Angliæ quam sustulit operarios. *Humphredi Woodward* celebris est memoria Mediolani; vbi sacros codices annis pluribus insigni cum opinione recondita eruditionis explicuit, & Psalmos Dauidicos docto Commentario illustrauit; Eius Commentarii meminit Possseuinus in Apparatu; & extare in hunc diem manu scriptum ea in Prouincia locuples est testis Ioannes Stephanus Menochius, qui ei Prouinciæ & Romanæ quondam præfuit, eodem in genere scriptor inter laudatissimos. *Humphredum* cum trigesimo Nouembris anni octogesimali septimi excessisset è viuis, literæ Breranae hoc elogio ornant, "Obit *Humphredus* Anglus Sacerdos, mira vir eruditione, & scientiâ Dei colendi.)

Edmondus.
Harevvod.

Richardus
Tancred.

Thomas
VVar-
coppus.

Edmundum Harevvod post gradum in Philosophia adeptum antequam in Societatem adlegeretur, & Theologiæ deinde stadium Romæ decursum, vrbs perpetuum habuit inquilinum. Nam vel apud Sanctum Petrum Penitentiaris, vel in Anglorum Seminario Minister, annos vndeugenti expleſſe reperitur: tum valetudinis refarciendæ causa delatus ad domum Probationis in monte Quirinali, sanctè è perhibetur obiisse, vndecimo calendas Octobris anni nonagesimi septimi. *Simon* etiam *Hunt* ante Edmundum, vigesimo septimo Aprilis anni septuagesimi octauo admissus, dum eodem Penitentiarij munere fungeretur, diem obiit 11. Iunij, anni octogesimali quinti. *Richardus* verò *Tancredus* viginti duorum annorum iuuenis, studiis Olomutij & Pragæ decursis, traditisque per biennium græcis literis Viennæ, vocatus in Italiam, diem clausit extremum Patauij, tertio decimo Septembris anni supra quingentesimum nouagesimi sexti.

XXIV. *Thomam* quoque *VVarcoppum* vidit Sicilia non diu quidem superstitem, sed memorabili Dei misericordiâ commotum, vt deserta hæresi in qua educatus, orthodoxam fidem, ac deinde sanctiorem viuendi rationem amplecteretur. Tertium & vigesimum annum attingerat, litteris non leuiter tinctus, & in tractandis quæstionibus ab Nouatoribus in disceptatione

ne positus sit, ut sibi videbatur, promptus; Hic seu discendi, seu calumniandi, aut docendi causa (ut est id hominum genus pronum ad ostentandam scientiam venerat Rhemos, quam ad civitatem recenter translatam Duaco fuerat Anglorum seminarium: Hospitabatur apud civem Catholicum: Hunc die quadam ad Templum matutino tempore progredientem rogat *Thomas* se socium habere velit. Annuat hospes, spondeat modò futurum se in aede sacra quod ceteros cerneret facientes: in Sacrosancto sacrificio, interim dum Sanctissima Hostia & Calix eleuantur, qui flexis genibus assistebant pectus de more tundunt; tundit & *Vvarcopus*; Et revertentem domum hospitem interrogat, "Quid rerum, bone vir, agebat sacerdos ille cum ad manus in altum elatas se populus tam sancta ceremonia percutiebat?" venerabamur (inquit hospes) Christum Dominum nostrum in sacrosancta hostia, quam tunc monstrabat Sacerdos, & in Calice presentem, quemadmodum nos ipse Christus, & Ecclesia docent." Hostiam & Calicem tu memoras? ego verò neutrum vidi.) at nos vidimus omnes: Ea cæcitas *Vvarcopo* saluti fuit; quos oculos curiositas clauserat, hos Deus humiliato aperuit: Ecclesie redditus, & Romæ post aliquot annorum studia factus ipse Sacerdos, tum in Siciliam corrogandæ pro Rhemensibus Eleemosynæ causa transmissus Societatem petiit, anno octogesimo septimo: Festo die Resurrectionis dominicæ admittitur Messanæ & nondum finitis probationibus euocatus in Hispaniam ad novum quod fundabat Rex Catholicus Seminarium, in itinere finem viuendi fecit Alicanti, decimo nono Octobris anni octogesimo noni.

X X V. *Guilielmus Brunseleyus* aliquantum dissimili ad Societatem prodigio adductus, quamquam virtutis studio & contentione currendi longioris vitæ cursum aquavit, integrum tamen Tyrocinij tempus non expleuit. Is natione Anglus, cum in hortis quibusdam inambulans de vitæ quam instrueret genere cogitaret, manifestam Saluatoris speciem vidit cuius & aspectu & tacito hortatu, ad humana linguenda impulsus, facile animadvertit illi se potissimum carui adiungi debere, qui eius quem videbat & vitam sectaretur, & gereret nomen: Viso cum certa eius asseueratio, tum maximè inculpati mores fidem fecere. Cuius illustre pro castitate seruanda certamen, cum literæ anni octogesimo quinti fulsere narrent (licet characteribus nominis paululum per errorem commutatis) illud huc transferre non erit iniucundum. *Guilielmus* inquit, *Brunseleyus*, Anglus, in Romano Collegio post initam Societatem mortuus, claris domus suæ ortus natalibus, cum annum ageret quartum decimum, studiorum causâ Duacum mittitur, ubi primùm Societatem nouit, cuiusque opinione nonnulla mentem de ea complectenda suscepit: quæ cogitatio quoniam radices nondum egerat, post eius in Angliam reditum, obliuione potius quam voluntate excidit. Agebat alterum & vigesimum ætatis annum cum arcta esset ei cum claro & Catholico viro coniunctio; & suadere caperat amor, ut assol-

*Guilielmus
Brunseleyus*

Primi sæ-
culi l. 2. p.
235.

Annus 85.

D

let, ne-